

de Codicill. th. 26. per t. ubi & Rogationem nudam, & Schedam ad cognata Codicillorum referunt.

THE S. XVII.

Contraria Codicillorum sunt ea omnia, quæ ipsorum progressum, operationemque impediunt, dirimunt, tollunt veluti: Contraria voluntas, (a) Mors, eaque vetam Naturalis, (b) quam Civilis, (c) Postumus, (d) inimicitia, (e) repudiatio, (f) Cl. Derogatoria, (g) interfectio Codicillantis. (h) Nihil autem nocet præteritio liberorum, (i) absentia heredis Fidei commissarii, (k) falsa opinio, (l) Convalescentia Codicillantis. (m)

(a) Quæ postea legitime geruntur prioribus derogare indubitatum est: *l. divi. 6. §. licet. 2. ff. b.* Unde colligitur, Codicillos Contrariâ voluntate infirmari. Nemo enim sibi tam strictam, tamque difficilem observatu Legem, dictitare potest, licet velit, quo scilicet ipsius Tabulæ perpetuæ sint, sibi que non liceat mutato proposito ab illis recedere. Quis namque rigor esset ingenuum hominem sese propriæ servituti mancipare.

Qualis autem, & quanta hæc voluntas esse debeat, dubio Marte huc usque inter Dd. disceptatum est: Quidam nondum placitum pro sufficienti declarare non dubitarunt, moti quod olim antè constitutionem Theodosii Imperat. *in l. fin. §. fin. C. b.* fortè constiterint. Codicilli saltem nudâ voluntate, paucissimis aut planè nullis stipati solennitatibus.

Nonnulli in declaratione istâ quali quali noluerunt acquiescere, exposcentes solutionem legitimo modo formaque procedentem, illamque vel per Testamentum vel per Codicillos contrarios factam, Scilicet ut res eo modo quo colligata erat, dissolvatur, *l. nihil tam naturale est. 35. de R. J. argum. l. qui ex liberis. 11. in fin. de Bon. poss. secund. tab. Novell. 107. cap. 2. l. antè tabulas. 5. ff. b. l. cum proponat. 3. C. cod. vel per revocationem coram quinque Testibus, Menoch. 1 pres. 51.*

v. 8.